



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 105. Didacus Covarruvias mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

§. CV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1577.

Didacus Covarruvias mortuus.

Die vigesima septima Septembris ejusdem anni Didacus Covarruvias Madriti animam Deo reddidit. Hic Toleti natus unacum Fratre suo Antonio Toletano Canonico Salmanticæ confecto studiorum curriculo inter Hispanos tam canonicæ, quam civilis juris prudentiæ peritia ingens sibi nomen comparabat; exiguo enim temporis spatio in decretorum studio tam uberes fecerat profectus, ut in eadem Salmanticensi Univerſitate juvenis adhuc jus Pontificium tradere juberetur, ac progressu temporis Burgis Prætor urbanus, necnon Granatensis Curix Conſiliarius nominaretur, ubi etiam ob prudentiæ, ac probitatis eminentiam maximi habebatur: Anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadagesimo nono a Carolo V. Cæsare in America Episcopus in Insula Sancti Dominici nominatus hanc quidem dignitatem acceptare recusabat: ast anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono haud amplius resistere poterat Philippo II. Regi, a quo Rodeſicopolitanum Episcopatum acceptare compulsus, die vigesima octava Aprilis ſequenti anno inauguratus est, eo-

*Thu. l. 64.
Morales l.
antig. Hiſp.
Miræus de
Script. ſæc.
XVI.
Nicol. Ant.
l. c.*

Hiſt. Eccleſ. Tom. XLIX. Ee dem

Sæcul. XVI. dem autem adhuc anno ad emendan-
A. C. 1577. dam Salmanticensem Universitatem de-
 putatus decreta oppido salutaria con-
 siderat: quo munere egregie functus,
 ad Concilium Tridentinum mittebatur,
 ubi suæ integritatis, probitatisque adeo
 præclara edebat specimina, ut reforma-
 tionis decreta instruendi provincia ei-
 dem demandaretur: porro ob profun-
 dam juris cognitionem vulgo nomina-
 batur *Bartolus Hispanus*. Demum anno
 restauratæ salutis millesimo quingente-
 simo sexagesimo quarto in Hispaniam
 reversus a Philippo II. ad Segoviensem
 Episcopatum nominatus Pastoralis cu-
 ræ officia dignissime obibat, hinc mor-
 tuo Spinosa Cardinale ab eodem Rege
 selectus præfato Cardinali in munere
 Præsidis apud Castellæ Senatam suc-
 cesserat, paulo post vero a Pio IV. Pa-
 pa Complutum contendere jubebatur,
 ut in vitam, & miracula Beati Didaci,
 quem Philippus Rex Beatorum albo in-
 feri cupiebat, inquireret: denique ad
 Conchanum Episcopatum vix nomina-
 tus hujus Ecclesiæ possessionem acci-
 pere, mortis invidia præpediebatur;
 quippe expletis vitæ suæ sexaginta
 quinque annis, ac duobus Mensibus
 mortalitatem exuit, locupletissimam vero
 Bibliothecam suam Collegio Sancti Sal-
 vatoris testamento legabat: porro cor-
 pus

pus ejus Segobiam translatum est, ibi-
dem terræ mandandum. Ceterum o-
mnia hujus Scriptoris opera in duobus
voluminibus typis excusa prodire.

Sæcul. XVI.
A.C. 1577.

§. CVI.

*Continuatum Sancti Caroli studium
durante pestilentia,*

Interea Sanctus Carolus identidem no-
va suæ pietatis, charitatisque speci-
mina edebat; cum enim grassantis pe-
stilentia violentia continuo illius Diæ-
cesim ingenti strage devastaret, non mo-
do cuncta bona sua, sed ipsam etiam vi-
tam pro gregis sui salute impendere pa-
ratus erat, ac ferme semper insomnis,
vel si somnum capere necessitas suade-
ret, nonnisi in quadam sella, vel nu-
do affere fessis membris quietem indul-
gebat, atque in publica etiam platea
equo insidens, ne tempus suæ sollici-
tudini præriperet, cibum sumebat: cum
vero singulis ferme momentis sese mortis
periculo exponeret, incertus rumor eum
decesisse spargebat, imo hæc fama adeo
late sese per universam Provinciam dif-
fundebat, ut nonnulli Antifrites jam-
jam pro illius anima exequias celebra-
rent, ac ipsemet Mediolanensis popu-
lus hisce rumoribus fidem adhibens
tam acerbo cruciaretur dolore, ut fan-

*Giuffano vie
de S. Char-
les l. 4. c. 10.*